

quæ habere poterat in Marchionatu Istriæ, renunciavit coram Imperatore, & Principibus: petens, Patriarcham & Ecclesiam pro eo de jure suo iusmodi investiri; quod factum fuit per dictum Imperatorem. Qui etiam donationes Montis-silicis confirmavit. Hujus tempore, Hinzelinus de Romano tyrannidem exercebat. Et licet idem Patriarcha, eoquod adhæsit Federico, indignationem Sedis Apostolicae incurrisset, ad Curiam Romanam cum maxima comitiva Baronum, & Principum accedens, cui serviebant in mensa Duces Austriæ, & Karinthiæ, & specialiter Dux Karinthiæ..... prout facere tenet, & Rex Bohemiæ pincerna vinum deferebat in mensa: & ibi magnalia ostendens, ab Innocentio IV. gratiam & benedictionem promeruit. Et rediens de Romana Curia, per plures annos feliciter regens Ecclesiam, felici pace quievit. Dicitur, quod cum primo intravit Aquilegensem Ecclesiam, in introitu infra Ecclesiam fortiter respiravit, & hunc versum Psalmista dixit: *Hec requies mea in seculum seculi.* Et ibi ordinavit fieri monumentum, & ibi sepultus fuit.

Gregorius de Montelongo Patriarcha sedit annis XVIII. (a) Hic factus Patriarcha per Papam Innocentium quartum, anno Domini M. CC. LII. (b) venit ad Ecclesiam suam. Ipse ante promotionem suam existens notus Papæ, missus fuit Legatus contra Federicum jam depositum, qui Parmenses, qui sibi rebellaverunt, obsidebat. Gregorius cum gente Ecclesiæ venit dictis Parmensisibus in subsidium: quod videntes Parmenses, portas Civitatis exiverunt; & cum gente Ecclesiæ in Federici exercitum irruentes, eumdem Federicum cum toto exercitu, eorum spoliis & tentoriis acceptis, (quæ tentoria hodie sunt in Ecclesia Civitatis per dictum Gregorium deportata) expulerunt non sine magno opprobrio & damno. Hic gloriosus Antistes multa magnalia operatus, multis guerras pro libertate Ecclesiæ habuit cum diversis, & præcipue cum Ducibus Karinthiæ, & Comitibus Goritiæ, qui multum Ecclesiam infestabant. Tandem prædictam Ecclesiam non sine magnis laboribus & tribulationibus potenter rexit & gubernavit, proditores juxta demerita puniendo. Mortuus est in Civitate Austriae, quam mirabiliter dilexit: & juxta corpus Sancti Paulini honorifice sepultus fuit anno Domini M. CC. LXIX.

Eodem anno electus fuit Philippus Dux Karinthiæ in Patriarcham: quem D. Gregorius X. (c) confirmare noluit. Fuit tamen factus Capitanus totius Forojulii, & vacavit sedes annis quatuor. Hujus tempore capta fuit Civitas Austriae proditione per quosdam Castellanos, faventibus quibusdam intrinsecus: & expulsi fuerunt & capti fere omnes boni & divites populares, & eorum bona accepta. Sed eodem anno Rex Bohemiæ, prout vassallagio tenetur, misit Capitanum cum magno exercitu pro redemptione ipsius Civitatis. Qui Capitanus eam obredit: tandem Deo favente, qui superbis resistit, intrinseci proditores sub certis patetis Terram Capitaneo dederunt: quam pristinæ, & propriæ libertati restituit.

Raymundus de la Turre Mediolanensis Patriarcha sedit annis XXV. (d) Hic existens Episcopus Cumanus, factus est Patriarcha per D. Gregorium X. anno Christi M. CC. LXXIII. Iste in adventu suo ubertatem Patriæ dedit. Pacem cum Comiti-

bus Goritiæ fecit. Sacillum a D. Girardo de Camino recuperavit. Qui idem D. Girardus pro feudi acceptis homagium & fidelitatem debitam cum juramento praestitit. Accessit idem D. Raymundus anno Domini M. CC. LXXVII. ad D. Rodulphum, Regem Romanorum illustrem: & habitu colloquio adinvicem, ad Patriam reversus est. Idem D. Raymundus cum Venetiis guerram incepit, quæ fere annis undecim duravit. Hoc tempore dicti Veneti Tergestum obsidebant. D. Patriarcha volens suis fidelibus subvenire, congregato valido exercitu, venit in subsidium Tergestinis. Tergestini exierunt, scientes auxilium: & Terram, quam ipsi Veneti fecerunt juxta Tergestum, quæ vocabatur *Romagna*, totaliter destruxerunt. Tandem pax facta est, & proclamata fuit anno Domini M. CC. XCII. Mortuus est Utini, & honorifice Aquilegiam deportatus in Capella S. Ambrosii sepultus est M. CC. XCIX.

Petrus Patriarcha sedit anno uno, & mensibus X. (e) Hic licet magnanimus esset, antiquus diecum modicum supervixit. Jacet in Utino sepultus in Ecclesia S. Mariæ de Castro Utini anno M. CCC. I.

Ottobonus Patriarcha sedit annis XIII. (f) Qui existens Paduanus Episcopus, factus est Patriarcha per D. Bonifacium Papam VIII. Hic mirabiliter & fortiter regere coepit. Multa debita solvit Ecclesiæ Romanæ. Fecit Salinas juxta Maranum. Hujus tempore (g) D. Rizardus de Camino cum valido exercitu obredit Spilimbergum, & habuit sub certis pactis. Qui Dominus Rizardus, faventibus sibi multis Castellanis de Forojulii, contrata multum damnificavit. Isto tempore fuit capitulus D. Henricus de Prambergo, adhærens dicto Domino Rizardo, & decapitatus in Utino. Eodem tempore illi de Budrio rebellaverunt: & cum auxilio Comitis Goritiæ dictum castrum esset fortissimum, gentibus & virtualibus muniverunt. Quod castrum dictus Patriarcha obredit; & divino iudicio operante, nullo credente, accepit nemine laeso de fuis: & dictum Castrum dirui fecit, & omnes intrinsecos habuit carceratos. Eodem anno obredit Castrum Porpeti, & habuit alia plura Castra, mirabilia operando: & Sacillum detentum per D. Rizardum prædictum recuperavit. Hic Patriarcha fuit ad Imperatorem in obsidione Brixiae, & ibi per dictum Imperatorem cum Imperiali vexillo de Regalibus suis fuit honorabiliter investitus: & coram Imperatore Ducem Leopoldum Austriae, & Ducem Karinthiæ, genibus flexis coram Domino Patriarcha stantes, de eorum feidis idem Patriarcha investivit. Qui Duces eidem Patriarchæ servierunt ad mensam coram prædicto Imperatore, uno eorum existente Dapifero, & altero Pincerna. Anno Domini M. CCC. VII. prædictus D. Rizardus veniens ad præsentiam D. Ottoboni pro feudorum suorum investiture, recepta investiture de ipsis, & ipso D. Rizardo amicabiliter a prædicto D. Patriarcha recedente; ipse D. Rizardus, faventibus sibi multis Castellanis, Terram Utini invasit, & statim ultio secuta est; nam dictus D. Rizardus debellatus fuit, & vix evasit: & unus de Dominis Spilimbergi interfectus fuit, & multi alii Nobiles captivati. Et multa alia fecit, quæ causa brevitatibus omitto. Se ad iter versus Curiam Romanam contulit, & dum esset in Comitatu Placentiæ, infirmitate detentus in loco, qui dicitur Arquar, mortuus est, & ibi sepultus.

Casto-

(a) Apud Murat. annis XIV. Menses VIII. (b) Apud Murat. anno Domini M. CC. LIII. Chronologia vitiata est. (c) Apud Murat. D. Gregorius Decanus voluit confirmare. Virtus laborat lectio. (d) Apud Murat. Menses II. dies VI.

(e) Apud Murat. Mensibus VII. dies XXVI. (f) Apud Murat. Mensibus II. dies XVII. (g) In Chronico apud Muratorium Vita sequentes Ottoboni, Castoni, Pagani, Bertrandi, & Nicolai, ubi Chronicum definit, longe differunt.

*Additamenta ad Ms. Lat. Vaticano vol. 19
Rubric (903?)*